

Andreas Daniel Habichhorst Erich Horning

**Disquisitionum Exegetico-Theologicarum super Illustriora Prophetarum Loca  
Praellectiones Publicas Sub Incudem Revocantium Sexta De Purgatione Sordium  
Sanguinumq[ue] Filiarum Zion Per Spiritum Judicii & Ardoris Ex Jsa. IV. 4.  
Aliisque seuentis V. cap. Isaiae Locis**

Rostochi[i]: Wepplingius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733817807>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1687

Habichhorst, Andr. Dan./c







DISQUISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM

super

ILLUSTRIORA PROPHE TARUM LOCA  
PRÆLECTIONES PUBLICAS  
SUB INCUEM REVO CANTIUM

SIXTA

DE

PURGATIONE  
SORDIUM SANGVINUMq;  
FILIARUM ZION

PER

SPIRITUM JUDICII & ARDORIS,

EX ISA. IV. 4.

Aliisque sequentis V. cap. Isaiaë Locis,

Quam

Auspice DEO - Homine,

Pl. Reverenda Fcitate THEOL. consentiente,

PRÆSIDE

ANDREA DANIELE  
HABICHHORSTIO,

S. TH. D. EJUSDEMq; PROF. PUBL. ORD. & CONSIST.

DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,

In Celeberr. Univers. Rostoch. Aud. Majori,

Ad d. VI. August. hor. mat. 1687.

publicæ collationi Academicæ sinit

ERICUS HORNINGIUS, Teuto-Tyrov. Pruss.

RostochI, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

V I R O  
*Admodum Reverendo, Clarissimo, Doctis-  
simoque*

**DN. HEINRICO  
HORNINGIO,**

Pastori Teuto - Tyroviensi in Prussia  
fidelissimo, sincerissimo,

**DOMINO PARENTI longè honoratissimo  
atque dilectissimo,**

Hanc Dissertationem Exegetico - Theologicam, filiali  
cum devotione & voto omnigenæ prosperitatis atque  
senectutis quietæ dat, dicat, dedicat, consecratve

**ERICUS HORNINGIUS**  
S. S. Theol. & Phil. Stud.

*Purgatione sordium sanguinumq; filiarum Zion & Jrusalem  
per Spiritum judicii & ardoris.*

**S**ensum hujus loci (quo beneficiorum Messix GERMINIS JHOVÆ nuper considerati recensio continuatur, præcipuè v. *causa interna* illius *sanctificationis*, præcedente v. 3. veris Israëlitis, *Germen* illud *Domini* amplectentibus, promissæ sc. *purgatio sordium sanguinumq;* describitur, quemque falsa quorundam interpretatio controversum reddit) rectius scrutaturi, quò deinceps *usus* ejus clarior evadat faciliusque simul *abusus* retundatur, quatuor ventilare quæstiones non pigramur, quarum (1) est de *tempore*, occasione primæ vocis מִן (2.) de *purgationis actu*, verbis פָּרַח & חִרַח designato (3) de *purgationis subjecto*, quod sunt *filie Zion & Jrusalem*, *sordibus & sanguinibus* inquinatæ, (4) de *medio*, quod insinuat verbis מִשְׁפַּחַת בְּרַחֲמֵי הוֹדוּתָא. e. *per spiritum judicii & per spiritum ardoris*,

§. 2. Prima vero quæstio de *tempore* resolvitur in generalem & specialem. Quæritur 1. *generaliter* quænam tempora hic respiciantur? *Grotius* quidem & *Sanctius* putant, respici hic tempora reditus à captivitate Babylonica; verum ad præced. locum Jsa. 4. 2. §. 1. ostendimus, vaticinium hoc esse Evangelicum, tempora Messix Zemach Jhovæ respiciens, quibus totalis status Jhudaici ruina per Romanos illata accidit, quibus etiam IDEUS per Spiritum judicii pœnitentiam & ablationem pariter ac ablationem peccatorum, tanquam passionis Messix fructum annunciavit. *Specialiter* v. quæritur, quid sibi velit prima vox ל, particula מִן, num h. l. sit *conditionis*, an *temporis* indicativa? Equidem non negandum est, communiter esse *conditionalem* & significare *si*; hoc a. loco censetur esse *indicativa temporis*, reddenda per *quando*, *cum*. Indicat enim, *quando sanctificatio illa Ecclesie N. T. l. residuorum Isra-*



ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

Et, quæ præced. v. 3. promittitur verbis: קָרוֹשׁ יִמְדָּר לְךָ *sans*  
*Etus dicatur illi sc. residuo: quando, inq̄vā, illa sit futura, sc. quan-*  
*do Deus abluerit sordes filiarum Zion, & sanguines Irusalem ab-*  
*stulerit per Spiritum iudicii & ardoris. Ita rectè Sanctius, Forerius*  
*& alii: tum gloriosi & sancti erunt illi residui, quando Deus sordes*  
*absterferit. Ita & Kimchi וְכִימָּן per quando exponit. Quod v.*  
*non insolens scripturis sit talis acceptio particulæ כִּי patebit*  
*conferenti Gen. 38. 9. Num. 36. 4. Joh. 21. 6. ubi Luth. rectè*  
*reddidit per Wenn. item Ps. 41. 7. &c.*

§. 3. Dehinc v. (2.) quæritur de ipso purgationis actu, quæ  
 describitur tum per Præteritum וָרָחַץ *lavit, abluit,* (quod pro  
 Fut. וָרָחַץ *adhibetur, cuius exempla in Prophetis plura occurrunt*  
*quàm capita) tum per fut. וָרָחַץ. R. וָרָחַץ eluit, dissipat per*  
*ablutionem, abluit depellendo sordes per aquarū impulsiones (conf.*  
*2. Chron. 4. 6. ubi utrumque verbum, uti hic, reperitur con-*  
*junctum) quæritur, inq̄vam, qualis purgatio s. ablutio & ablatio*  
*hic intelligatur? Grotius quidem de expurgatione corporali per*  
*longas calamitates, exponit, dicens: sicut ista, ubi Deus populum*  
*longâ calamitate expurgaverit &c. Similiter Sanctius & Tirinius de*  
*expiatione sordium scelerumq; Iudæorū per severam punitionē,*  
*nempe, per incendium urbis & templi, interpretantur. Ce-*  
*terum minùs aptè: Prophetam, nec de reditu e captivitate Babi-*  
*quam Grotius supponit, nec de expurgatione tali quicquam*  
*habet; sed quemadmodum ille præced. v. 2. de Germine*  
*Ibove & Fructu terra h. e. Messia filio Dei & hominis, à resi-*  
*duis Israëli recipiendo, egit, quod ad locum præced. pluribus*  
*est ostensum: ita & seq. v. 3. & h. l. beneficia Messiaë Germinis*  
*Domini recenset, sc. sanctificationem tredentium, sordiumq; pur-*  
*gationem &c. Igitur spiritualis purgatio hic promittitur, quæ ex*  
*analogia tum intentionis Prophetiaë, tum fidei est exponenda,*  
*scil. illa, quæ fit per lavacrum aquæ & Spiritus h. e. per Bapti-*  
*smum Joh. 3. 5. Eph. 5. 26. 1. Petr. 3. 21. Tit. 3. 5. & per Pœnitenti-*  
*tiam*

*iam*, Jfai. 1. 16. seqq. Luc. 18. 14. Pœnitentiæ enim effectus est *justificatio*, cujus formale consistit in imputatione meriti Christi & remissione, ablatione peccatorum: Quam expositionem confirmat tum *nexus* loci hujus cum præced. versu 3. ita habens: *tunc sancti erunt residui Israël* h. e. fideles germen Jhovæ Messiam amplectentes, *quando Deus abluerit sordes & abstulerit peccata ab ipsis per Spiritum &c.* tum complementum sanctificationis Ecclesiæ & purgationis, quam exponit Ap. ad Eph. 5. 25. 26. 27. Eodem tendit descriptio *subjecti*: purgationis & *medii*, jamjam in seqq. considerandorum.

§. 4. Quær. ergo (3.) de *subjecto* purgationis, quod sunt *filiæ Zion & Jrusalem*, *sordibus & sanguinibus inquinatæ*, quoniam sc. per *filiæ Zion & Jrusalem* intelligantur: item quid per *מזר* & *דמי* e. per *excrementum* (sordes) & *sanguines* significetur? Respondet ad 1. *Piscator*, intelligi hic, ut supr. c. 3. 16. *mulieres Hierosolymitanas*, ita ut Synecdochicè quoque *Viri* sub intelligantur. Alii verò *Civitates Jbudaicas*, quarum mater quasi *Jrusalem* erat. At verò quoniam Propheta hoc cap. ad tempora Messix præcipuèq; ad infantiam Ecclesiæ N. T. respicit, deque beneficiis Messix, in residuos Israël eundem recipientes conferendis, uti jam ostensum, agit, certè per *filiæ Zion & Jrusalem* intelliguntur ipsi *residui Israël & fideles ad Messiam conversi*, quibus ille, ut *Germen Jhovæ*, juxta v. 2. jucundus erat & gloriosus, quique sancti dicuntur v. 3. Horum sordes dicuntur hic *purganda & abluenda* sc. sanguine Messix (qui emundat nos ab omnibus peccatis I. Joh. 1.) *per spiritum judicii &c.* Unde 2. patet per *sordes* intelligi peccata: siquidem additur *ablutio sanguinum*, quam Propheta (vadebat suprà c. 1. 15. 16. dicendo: *manus vestre sunt sanguine plene: lavamini, mundi estote &c.* Per sanguines enim *homicidia* & Synecdochicè *peccata atrociora* e. c. *oppresso aliorum*, quæ homicidiū æstimatur ap. Deum Mich. 3. 10. denotantur.

ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

§. 5. Quæritur (4.) de mediopurgationis sordium sanguinumq; qv. per verba ultima: כָּרוּחַ וְכָרוּחַ כָּרוּחַ si-  
gnificetur, qvæ redduntur à Luth. Durch den Geist der richtent  
und ein Feuer anzünden wird. Quomodo & Pisc. & Angl. pos-  
teriora vertunt, sc. per Spiritū exustionis, uti & LXX. ἐν πνεύματι  
καυσίας. Ar. Montanus, Menoch. Castalio & alii: ardoris. Sed  
Jun. & Trem. per: sublationis. Similiter B. Varenius: per spiri-  
tum tollendi qv. per ignem. Est enim à R. אָרַס arsit, accensus est,  
& metaphoricè furere, item auferre, perinde ut ignis invale-  
scens furit & aufert ligna &c. Illis ergo qui reddunt per Spiri-  
tum tollendi, succendendi, habetur posterior vox אָרַס pro nomi-  
nascnte infinitivo in Piel, ad formam אָרַס Sed qvare non sta-  
tuitur nomen masculinum significans ardorem, cujus fœm. sit  
אָרַס inflammatio, ardor, qvod habetur Exod. 22. 6. Sed ad rē  
ipsam. Sanctius vero & Tirinus longius à mente Prophætæ ab-  
eunt, cum de justa & severa Iudeorum punitione, qua ipsi per in-  
cendiū urbis & calamitates à seorū sint expurgati, interpretantur.  
Similiter Forerius de executione justitiæ Dei. Nam uti sæpius jam  
monitum promittit hoc cap. Propheta & describit beneficia  
Messiæ. Ergo non severam punitionem nec justitiæ execu-  
tionem. Hinc & verba quæstionis, non tantum ex genuina  
significatione, sed ex analogia quoque tum intentionis Pro-  
phetiæ, tum fidei sunt exponenda. Quapropter alii rectius  
de ipso Spiritu S. verba intelligunt, qui ab effectibus nomen  
habet tum judicii tum ardoris q. d. judicio Spiritus, ardore Spi-  
ritus. Inter alios v. Menochius ad h. l. scribit communis sententiæ  
docet, promitti his verbis pœnitentiam. Similiter B. Varenius  
Comment. ad h. l. Addimus nos Baptismum, & dicimus (i) per  
Spiritum judicii & ardoris hic significari mediõrum purgationis  
spiritualis sc. Baptismi & pœnitentiæ, tempore Messiæ, per Spiri-  
tum S. annunciationem & efficacem ejus ap. non resistentes  
operationem. Uti enim sanctificationis præced. v. 3. promif-  
sa

Ica causa est purgatio sordium & ablatio sanguinum s. peccato-  
 rum h. l. descripta: ita & purgationis & ablationis causa est  
 Spiritus S. quam efficit ille per lavacrum aquæ & Spiritus s. Bapti-  
 smum, & per pœnitentiam, non excluso Christi sanguine & me-  
 rito, tanquam causâ meritoria, quam fides purgandorum (nobis  
 pars pœnitentiæ) apprehendit, Dicimus (2.) Non frustra dici  
 per *Spiritum judicii & ardoris* futuram: Non enim tantum in-  
 fans in Baptismo, sed & adultus in pœnitentiâ & justificatione,  
 coram judicio divino tanquam reus sistitur, à peccatis propter  
 Christi meritum fide apprehensum absolvitur atque ita pur-  
 gatur; sed & Spiritus S. tanquam *Spiritus judicii* redarguens  
 mundum de peccato, juxta effatum Joh. 16. 8. facit ut peccata  
 videamus, nos ipsos probemus, judicemus & damnenus i. Cor.  
 ii. 28. 31. imò tanquam *Spiritus ardoris* non defatigatur, sed ve-  
 hementer instat annunciando & operando, ut gratiæ suæ igni-  
 bus in nobis pœnitentibus ardorem accendat, ut non tantum  
 serio de peccatis doleamus, lacrymis dolorem contestemur  
 & Christum ardentissime amplectamur, sed & dehinc purgati  
 ejus sanguine, ablatis sordibus nostris, amore Dei & proximi  
 ardeamus, Zeloq; bene operandi flagremus. Confirmant expo-  
 sitionem illam præter loca jam supr. §. 3. citata, non tantum  
 locus 1. Cor. 6. 21. *vos abluti estis & purgati & justificati per  
 nomen Domini Jesu & per Spiritum Dei nostri:* sed & locus  
 Matth. 3. 2. 5. 6. 7. 8. qui certè vaticinii hujus quoddam comple-  
 mentum est, & exemplum purgationis sordium filiarum Zion  
 & Jherusalem per Spiritum judicii & ardoris producit, Johan-  
 nes enim pœnitentiam in Spiritu judicii & ardoris prædicat,  
 quo Jhudæi merito moti peccata cōfitentur, confessi bap-  
 tizantur atque ita purgantur. Conf. B. Calov. Bibl. illustr. ad h. l.  
 & B. Varen. Comment. h. l. ubi addit locum Act. 2. 38.

§. 6. *Usus* loci jam expositi in Articulis de Baptismo  
 & pœnitentiâ horumque fructu & effectu ex dictis satis est con-

## ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM

Spicius; non tñ. integrum hic nobis erit eidem deducendo im-  
 morari. Saltē *abufum* loci, anteqvā hinc abeamus, adhuc retun-  
 demus. Quidam enim Pontificii, præcipuè *Bellarmin.* l. i. de Pur-  
 gatorio c. 3, loc. 6, *purgatorium* ex h. l. conatur fufflare existi-  
 mans, per *filiās Zion* intelligi animas piorum, per *sordes & San-*  
*guines* peccata & pœnas peccatis debitas, per *Spiritum judicij*  
*& ardoris* purgatorium, in quo purgentur animæ à peccatis &  
 peccatorum pœnis. Sed perperam: genuinus enim loci sensus  
 jam jam diductus reclamationat: nam (1.) agitur hic de purgatione  
 sordium & ablatione, quæ fit in Baptismo, & pœnitentia,  
 quam Spiritus S. annunciat, operatur & exercet in hac vita;  
 E. non de ea, quæ fieri fingitur in purgatorio post hanc vitam (2.)  
 per *sanguines* non intelliguntur peccata venialia vel levia, sed  
 mortalia & atrociora, ut homicidia &c. jam v. juxta Pontificios  
 in purgatorio tantum venialia & levia, non mortalia & atrociora  
 purgantur. (3.) purgatio sordium sanguinumq; prædicatur hic  
 ut beneficium Christi Germinis Jhovæ; purgatio v. ignis pur-  
 gatorii est pœna & supplicium. (4.) purgatio h. l. fit per satisfa-  
 ctionem Christi, tanquam causam impellentem meritoriam, me-  
 diante Baptismo & pœnitentia; illam v. in purgatorio jactant  
 fieri propriis satisfactionibus (5.) per *Spiritum jud. & ardoris* in-  
 telligitur *Spiritus S.* (prout ipse *Corn. à Lapide* Pontificius ad  
 h. l. interpretatur) & ille Spiritus S. huic purgationi præsidet:  
 quomodo ergo per Spiritum jud. & ardoris purgatorii ignis  
 designabitur, cui non Sp. S. sed Diaboli potius tanquam tor-  
 tores præfunt, uti Pontificii fabulantur (6) Sed quid multis?  
*Bellarmino* &c, qui suppetias eidem ferunt, *Feurardentio*, *Scop-*  
*pio* aliisque opponimus fidei socios (1) *Svarexium*, qui tom. 4.  
 disp. 45. sect. 5. purgatorium ex h. l. probari non posse profite-  
 tur. 2. *Sanctium & Lirinum*, quorum sententia supra §. 5. cita-  
 ta videatur.

LOC:

## LOC. III. JSAI. V. I.

*Canticum Patruelis Isaia de Vineâ sua.*

**E**Tiam locus hic quatuor habet momenta nonnihil controversa. 1. *Canticum* titulum שירת דודי *canticum Patruelis mei* 2. ejus *dedicationem*, quam sistit vox דודי *dilectio meo* 3. Ejusdem *Objectum* s. *materiam*, quæ significatur voce לכרמו *de vinea sua*. 4. *Vineæ topographiam*, his verbis designatam: בקרן כרשמן *in cornu filio olei*. Circa 1. s. *Titulum* hic non disquiremus de voce שירת b. è. *canticum*, quale sc. *canticum* sit: Patet enim non esse *rythmicum*: neque tale, quod certâ constat compositione & membrorum proportione, ita ut alterum alteri respondeat & modulationi inserviat, sine numero & rythmo; sed *Parabolicum*, in quo locutiones eminentes ac figuratæ & mysteria sub schemate recondentes. Sub schemate enim *vineæ* Ecclesiam hic *Jhudaicam* representat; commodeque canticum hoc dividitur in *parabolam ipsam* ejusque *exegetin* à v. 7. incipientem. &c.

§. 2. Illud v. circa titulum præprimis controversiantur, quomodo sc. vox דודי sit reddenda & quem designet? *Grotius Deum Patrem* intelligit, quasi *Propheta* hic dicens: *cantabo canticum דודי*, diceret, *se ea dicturum*, quæ *Deus* jure optimo dicere posset: hinc vocem דודי reddit per *dilecti mei*: videt enim versionem receptam: *patruelis mei*, Deo patri non convenire. Probationis loco prætendit, LXX. etiam hic, uti paulo antè, legisse דודי דודי pro דודי, cum reddiderint דודי דודי: Hinc fontem corruptionis insinuat illumque quondam habuisse דודי דודי *dilecti mei*, contendit: Sed 1. perperam hoc prætendit: non enim potest indubitato concludi, versio e. c. LXX. ita habet, E. fons quoq; sic legit, cum argumentum potius sit invertendum, à fonte sc. ad rivum: quid? quod LXX. non semper literam, sed sæpe sensum, quem ipsi præconceperunt, expressisse depræhenduntur. 2. Præter necessitatem id prætendit, cum דודי idem significare queat, quod cognata vox דודי h. l. præcedens. Notum enim est *Hieronymum* in *Cantico cantic.* vocem eandem דודי sæpe ibid. & semper, uti hic, cum affixo 1. personæ occurrentem, reddidisse *dilectus meus*, cum nihil ad sensum interesse crediderit, utro illam modo exponeret. Vox enim דודי non modo *dilectum*, sed & sapissime genuinâ significatione in scripturis denotat *Patruum*, e. c. *Lev. 28. 49.* & alibi passim, item *cognatum quemvis* *Amos 6. 10.* *conf. Jer. 21. 8, 9. 12.* sicut & *terminum*

## ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

ejus  $\text{אמיתא}$  amitam significat Exod. 6. 20. adeoque indifferentem quidem si-  
 gnificare hic posset *dilectum & patruelem* & perinde esset siue hoc siue  
 illo vocem modo redderes; quia tamen 1. *consanguinitas* inter Prophe-  
 tam Isaiam & Dnum Jesum in una tribu Jhuda ejusq; familia regia verè  
 fuisse credatur. Ebraei enim ex communi traditione referunt, Patrem Isaiæ  
*Amoz* (non *Amos*, ut perperam quidam Interpretes scribunt) fuisse fra-  
 trem Amazia Regis Jhuda, qui inter Majores Christi numeratur Matth. 1.  
 conf. supr. Disp. 1. loc. 1. ad Isai. 1. I. (2.) jam immediatè h. l. præcesserit vox  
 $\text{אמיתא}$  quæ *dilectum* significat, adeoque textus liberior à tautologia fuerit, si  
 vox  $\text{אמיתא}$  exponatur per *patruelem*, quem ceteroqui, ceu ostentum, genuinà  
 significatione notat, (7) *Aquila* eandem reddiderit per  $\text{אבא}$  &  
*Hieron.* Patruelem (4.) Christus verè hoc cantico, tem-  
 pore Prophetæ, de Jhuda & Israël uti poterit, quemadmodum  
 ipse de iisdem in plenitudine temporis eodem cantico vel pa-  
 rabola de Vineæ instauratione, & ejusdem corruptione usus  
 fuit Matt. 21. 33. (5) eodem titulo  $\text{אמיתא}$  ipse Christus Ecclesiæ spon-  
 sus & cognatus dilectissimus in Cantico Cant. in 28. locis appel-  
 latur (6) ejusdemque Messia ineffabilibus in Ecclesiam amo-  
 ribus *David* (ab eadem voce  $\text{דוד}$  nomen habens) Psalmum 45.  
 si non sub eodem, quo h. l. certè sub cognato planè titulo  
 $\text{אמיתא}$  h. e. *canticum amorum*, consecraverit. Et deni-  
 que (7.) eadem cognata voce  $\text{אמיתא}$  quæ hic præcedit & *dile-*  
*ctum* notat, iidem mystici & ineffabiles hypostaseos mediæ  
 s. filiatæ in divinitate amores in loco Deut. 33. 12. connoten-  
 tur, ubi de *Beniamino* dicitur  $\text{אמיתא}$  *Dilectus Domini* h. e.  
*Messias filius Dei, habitabit super eum & proteget super eum;*  
 hinc concludimus, non tantùm per  $\text{אמיתא}$  ipsum designari Mes-  
 sias, sed & titulum hunc  $\text{אמיתא}$  commodissimè reddend-  
 um esse: *canticum Patruelismei.*

S. 3. Qv. 2. quis ille, cui dedicaverit, voce  $\text{אמיתא}$  i. e. *dile-*  
*ctus* meo, designatus? Chaldaeus intelligit *populum Israël*. Sed  
 populus Israël &  $\text{אמיתא}$  cui dedicatur canticum de vinea, habent  
 se ut vinea (conf. §. seq. & v. 7.) & Dominus vineæ. Rectius  
R. Sal.

R. Sal. Jarchi, Kimchi & quidam Christiani ipsum intelligunt Deum benedictum. Ita & Grotius: dilecto meo *i. e. in honorem Dei, quem maximè diligo, cantabo.* Sed nos etiam & rectissimè ipsum Messiam intelligimus, Dei Patris & Ecclesiæ dilectissimum, Jsaïæ Patruëlem, quem ipse hoc unico versu toties jucundissimo *dilecti* vocabulo designat, quique æquali cum Patre & Sp. S. autoritate Dominus vineæ est, & ad vineam ratione officii missus. Conf. Matth. 21. 37. seqq. Nec absurdum est (ceu putat R. Abarbenel) canticum dilecti Messia h. e. à Messia Prophetæ inspiratum s. dictatum, eidem Messia rursus dedicari.

S. 4. Qv. 3. de materia cantici, quæ notatur voce לכרמו *i. e. de vinea ejus, quænam sc. illa sit vinea?* Respondet ipsa exegesis cantici hujus parabolici v. 7. *Vinea Jhove Zbhaoth est domus Israël, & Viri Jhuda planta plebetationum ejus.* Quæ plana essent, nisi dubium moveretur, verbale, de particula ל in לכרמו, quomodo scil. reddenda, an per DE cum Vulg. Luth. Jun. &c. an verò per AD cum Calvino; an per IN q. d. *in negotio vineæ suæ* (2.) *reale*, an sc. per vineam solus regni Israëliti status s. 10. tribus, an verò etiam Jhuda & Jruschalem intelligatur? Nos quoad primum probamus significationem primâ DE, collatis (1.) textus circumstantiis: quis enim negaret significationem præpos. DE in ל si talis positus nominis cum illa, uti hic in לכרמו, sequatur, positus scil. 1. post verbum actus אשרה *cantabo*, 2. post Dativum לירירי *dilecto meo*, 3. post accusativum jam determinatum in וירי שירי *canticum patruëlis mei*. 2. scripturarum Locis, in quibus pariter ל pro de accipitur e. c. Gen. 26. 7. *de uxore ejus* Pl. 91. 11. ל *de te*. Quoad 2. negamus omnino prius, affirmando posterius, quod sc. non tantum domus Israël, sed etiâ Jhuda & Jrusalē sint vinea vel potius pars vineæ. Ad objectiones v. R. Abarbenelis, 1. quod seq. v. 7. domus Jhuda discernatur à domo Israel, ut planta à vinea 2. quod seq. v. 3. Viri Jhuda & Cives Jrusalem constituentur Judices inter



ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

ter DEUM & vineam. E. domus Jhuda & Jrusalem non fuerint ipsa vinea, Resp. uno verbo (cum angustia pagellarū prolixiora non capiat) negando se, consequentiam majoris. Hoc enim tantum sequitur. E. Domus Jhuda fuit pars vineæ nobilissima: Dicitur enim *planta ייִשׂרָאֵל oblectationum ejus* sc. Jhova Zbhaoth.

§. 5. Queritur tandem (4) de topographia vineæ, quam Propheta his innuit verbis: *בְּרֵן בְּצֶמֶן in cornu filio olei?* Chaldaus bellè reddit: *in monte excelso & terra pingvi.* Lutherus vocem piorem *בְּרֵן in cornu* præterit, posteriores rectè quoad sensum vertit an *einem fetten Ort.* Duo enim hæc topographia vineæ designat: 1. *fulgidam & robustam ejus eminentiam*, voce *cornu*, 2. *Pingvedinem*, vocibus: *filius olei*, q. d. vinea fuit in loco quidem montoso, vineis aptissimo, non tamen sterili sed maximè fertili. Nam (1.) vox *בְּרֵן cornu* (à R. *בְּרֵן splendet, radios instar cornuum emittit*) non tantum significat *eminentiam fulgidam*, qualis in cornibus animalium conspicitur, & qualis est radiorum ex corpore lucido eminentium inque facie Moïsi Exod. 34. 29. *consectorum*: sed & *eminentiam robustam*; nam *cornua* in scripturis *altitudinē & potentiam* notant. Pl. 75. 5. 6. (2) vox *צֶמֶן oleum* est à R. *צֶמֶן pingvis fuit*, q. d. pingve unguentum. Conjungitur autem vox *צֶמֶן* cum *בְּרֵן* per *Ebraïsmum* in scripturis frequentissimum, quo vox *בְּרֵן filius* inter alia conjungitur cum *nomine qualitatis s. adjuncti* & sic per concretum s. adjectivum ei respondens exponenda, ut *בְּרֵן בְּרֵן filii: roboris* i. e. *robusti* 2. Sam. 2. 7. Plures v. modos ad Ebraïsmum illum spectantes, vid. ap. Glass. Phil. 5. l. 3. Tr. 1. can. 36. Ad primam classem vel modum pertinet præsens exemplum, ut adeo *filius olei* significet *pingve*. Notatur v. hac descriptione terra *Jhudaica*, de qua constat, quod fuerit eminentior cum robore tum pingvedine: nam lacte & melle dicitur fluxisse. Maximam verò eminentiam singulari Dei præsentia & tot miraculis referebat acceptam, cujus respectu toto orbe *eminebat & prævalebat.*

LOCUS

## LOCUS IV. JSAL. V. ult.

*Terra Iudaica admirabiles tenebras*

**A**D locum hunc (qvo destructionis vineæ illius Domini de-  
scriptio clauditur & miserrimus terræ illius status, quæ jam  
jam præced' v. i. cornu filius olei dicebatur, per admirabiles ejus  
*tenebras* designatur) admirabiles plurimorum Interpp. tene-  
bras quin discutiamus, facere non possumus. Præterimus v.  
tanquam levius, quod Tirinus & alii vocem primam loci תַּנְיָי  
reddiderunt per *aspiciemus, intuebimur*, cum tamen id cum E-  
bræa voce תַּנְיָי (quæ non est Fut. Kal neq; primæ personæ, sed  
Præter, vel Niph, vel Piel & tertiæ personæ) non congruat. Tres  
v. graviores tenebras notamus.

§. 2. Et (1) quidem erratum est, quando seqq. voces תַּנְיָי  
צָר חָשָׁךְ ita sunt conjunctæ: *Ecce tenebra tribulationis* (angu-  
stia) sunt: ita v. conjungit *Menochius, Vulgat. & Calvinus &c.*  
Nec dissimulamus, ipsum quoque Luth. sic reddentem: *Siehe*  
*so istis finster für Angst*/hic non tantum per vestigia versionum  
esse ductum, sed & præterea præpositionem *für* addidisse (*für*  
*Angst*/ac si in fonte esset צָר Verum conjunctioni vocum חָשָׁךְ  
צָר obstat Accentus Rex distinctivus Sakephkaton in priori  
voce חָשָׁךְ, quippe qui teste praxi biblica disjungit vocem חָשָׁךְ  
à צָר adeoque gradum in lectione parumper sistere jubet.

§. 3. Deinde hic erratum in eo quoque est, quod alii non  
tantum Sakephkatonum in חָשָׁךְ rectè attendunt, sed & deinceps  
iterum in vocibus seqq. וְאֵר וְצָר i. e. *angustia & lumen ser-*  
*monem*, plus quam fas est, & quidem propter *Sakeph-*  
*katonum secundum in וְאֵר*, sistunt, quasi is obstaret, quò minus  
hæc duo nomina, tanquam subjectum, cum seq. חָשָׁךְ tan-  
quam prædicato, unam facere possent enunciationem. Errat  
hunc errorem præprimis *Lud. de Dieu* ad h. l. qui adeo Belgi-  
cam hic immeritò corrigit, cum illa *וְאֵר* rectè ad seqq. refe-  
rat.

ILLUSTRIORUM ISALÆ LOCORUM

rat: primus enim Sakekphkatonus & remotior ab Imperatore Silluk, semper plus distinguit quàm secundus & propior. Sufficit verò quod propior definiat hic subjectum, quod est צר וואר

§. 4. Tandem (4.) circa ultimam quoque vocem צר וואר erratum est. Lutherus planè illam præteruisse censetur B. Varenio. Comment. ad h. l. Nobis verò ultimis ipsam verbis (oben über ihnen) respexisse videtur, q. d. das Licht scheint nicht mehr am Himmel über ihnen: id quod ex aliorum versionibus similiter habentibus colligere licet. Ita enim Piscator: quum tenebricosa fuerit reddita lux in caelis illius sc. terræ. Ita & Vatablus vocem reddit per: in caelis, qui ceteroqui proximus est fonti: Imò & Buxtorfius malè illam vertit: in caelo visibili, uti præcedentem צר pejus per: Sol. Alii v. aliter. Arias Mont. transfert: & Lux obtenebrata est in defluxionibus suis: Avenarius in influentiis suis: Forerius & Anglic. Annot. in stillatoribus suis &c. Qui quidem metaphoram sumunt à cervice, qua amputatà sanguis abundanter fluit: nam vox צר וואר est à ר. צר וואר cervicem incidit, jugulavit; cujus cognata est צר וואר fluxit; Verù & hæc longiùs petita ac tenebricosa sunt. Clariùs v. & simplicius illa redditur per: in destructionibus suis sc. totalibus. Si enim conferimus locum Hol. 10. 2. ubi dicitur: ipse צר וואר jugulabit altaria eorum, devastabit statuas ipsorum, certè significationem destruendi vel diruendi in vocis hujus Radice deprehendimus. Jugulare enim altare est destruere & qui jugulat animal, vitam ejus totaliter destruit. Unde vox derivata צר וואר (quæ h. tantùm l. in scripturis reperitur) notat capitales destructiones, ruinas &c. ut adeo hic sit genuinus loci sensus: Et respicietur terra illa (Jhudæa) ecce tenebra (erit, i. e. valde tenebricosa & calamitosa, imò) angustia & lux ipsa obtenebrata erit in tot alibus destructionibus ejus (terræ Jhudææ.) Viderunt quidem hanc vocis significationem Jun. & Trem. reddentes: Simul ac collustraverit offundentes (contenebrantes) se in ruinis ejus (in quibus illæ tenebræ diu sunt duraturæ;) sed correcturi alios ipsimet in aliis tenebricosi deprehenduntur. Nostram v. interpretationem luce sua radiare agnoscent, qui sensus habent subactos & in Critico-Exegeticis exercitatos.

*Ad Præclarè doctum planèq; eximium.*  
DN. ERICUM HORNINGIUM,  
In Coll. Theol. Lectorio-Disputat. super universam Theologiam Positi-  
vo-Polemicam, ut & Philolog. Auditorem meum sva viffimum.  
Jam in Collegio Prophetico Jsaiano publicè RESPONSURUM,

**C**ornua Teignant, HORNINGI, Nomine tantùm?  
Omen adest: CORNU (a) nam GERIS ecce SINU!  
Non facie CORNU GERIS, at SINUS exhibet illud:

*Insinuat Virtus istud & ingenium.*  
Cornua splendorem referunt & robora (b) signant:

Sic radii vultus cornua (c) Mosis erant:  
Cornibus excellens quoque Cervus robore pollet.  
Tuque sat, HORNINGI, fortis es atque micat,  
Fortis es ingenio pollens, Virtuteque fulges:

Id probat hoc specimen, quod Deus usque bect.  
Firmet is atque Tuum CORNU sic erigat, ut mox  
Inter honoratos stes radiesque Viros!

(a) ERICUS HORNINGIUS Anagr. asp. exp. CORNU GERIS SINU.

(b) Conf. Disp. ipsa ad Loc. Jsa. 1. verba: Vineæ dilecti suis in cornu filio olei.

(c) Exod. 34. 29. קרן עור פניו קרן h.e. radios instar cornuum emisit cutis  
faciei ejus, h.c. splenduit.

L Mq;

A. D. HABICHHORST, D.

**D**octis usque manent æternæ nomina laudis:

Quique suis studiis invigilare potest,  
Illius & Pindum præclarum fama peragrat  
Ac coram cunctis dissipat acta bene.  
Sic cum de Domini doctrina differis hocce  
Tempore, jure simul præmia digna capis.  
Apprecor ex animo summi Rectoris amorem,  
Adsit & æternum gratia summa Poli.

M. CHRISTIANUS HILTEBRANDUS, Prof. P;

FACTIS Philof. SENIOR, & h.t. DECANUS.

**L**audando lustras conamine scripta Sophorum  
Hactenus, & Summus quæ Stagirita docet.  
Scilicet egregium parit hæc industria fructum,  
Ut gressu facili tendere ad alta queas.

EL

Et sanè hæc tendis, specimen dum sanctius offers,  
Quo mage scripturis abdita sacra patent,  
I pede felici, ceopto Deus annuat omni,  
Et merito circum tempora laurus eat.

M. GOTHOFREDUS Weiß/ Gr. L. P. P.  
& ad D. Nicol. Eccles.

**W** Ein gelehrter Mensch / den Fleiß durch gute Proben/  
Der werthen Musen-Schaar getrost vor Augen legt/  
Da will das muntre Volk den heissen vorsatz loben  
So das sich offermahls der Wunsch im Herzen regt;  
Es gebe unser GOTT noch ferner solch gebeyen /  
Damit das ganze Werk am Ende wolgelingen/  
So kan sich mancher Freund im Herzen drüber freuen/  
Daß unverdroßne Müß dergleichen Ehre bringe.  
Ich ruffe gleichfals so / laß Höchster die Geschäfte  
Durch Beystand aus der Höbigenwünsch von staren gehn /  
Sieh ferner Rath und That / gesunde Leibes Kräfte/  
Und wo sich Jammer finde / so hilf dawieder sehn/  
Es müsse dieser Freund des Geistes Beystand führen/  
Ein mehr als kluger Wiß / erfülle seinen Sinn/  
Diß ist mein treuer Wunsch / dieß heist mein gratuliren/  
Dieß schreib ich eilendes auff / der ich sein Diener bin.  
JOHANNES JACOBUS Weiß/ Reg. Pruff.

**W** Je Königsberg Jhn hat gestellet auff die Zinnen/  
Als Er vom DEUTZ allda so rühmlich disputirt;  
So lobet Rostock auch sein herzliches Beginnen/  
Das Er auch hier anzeigt / was Er bisher studirt.  
Nun woll mein wehrter Freund solch fleißiges Bemühen/  
Wird Jhn bald bringen hin zur Weißheit Ethenhum.  
Gott laß noch lange Jahr Jhn ferner glücklich blühen/  
So wird Er durch den Fleiß erlangen Ehr und Ruhm!  
Gottfried Strahlborn / von Danzig.

**N**on somnò, àt Studiis tempus trivisse videris,  
HORNINGI, specimen quod probat hocce Tuum.  
GRATULOR inde Tibi; feliciter omnia cedant,  
Adspiret exceptis Numinis aura Tuis!  
Perge pie: fructus Patriæ cum foenore reddes,  
Et meritò Studiis præmia digna feres.

DAVID Wegel, Sculp. Pom. S. S. Tb. & Phil. Stud.












ILLUSTRIORUM IS

§. 5. Quæritur (4.) de me  
guinumq; qv. per verba ultima  
gnificetur, qvæ redduntur à Luth  
ünd ein Feuer anzünden wird. Qvæ  
steriora vertunt, sc. per Spiritū ex  
nūvovias. Ar. Montanus, Menoch  
Jun. & Trem. per: sublationis. Sir  
tum tollendi qv. per ignem. Est  
& metaphoricè furere, item auffe  
scens furit & auffert ligna &c. Illi  
tum tollendi, succendendi, habetur  
nascente infinitivo in Piel, ad fo  
ruitur nomen masculinum signifi  
תערה inflammatio, arbor, qvod  
ipsam. Sanctius vero & Tirinus l  
eunt, cum de justa & servera Jude  
cendiū urbis & calamitates à scoriis  
Sim. Forerius de executione ju  
romittit hoc cap. Pro  
non severam pun  
verba qvæstio  
analogia q  
nonend  
signu



an-  
si-  
tent  
por  
an  
Sed  
viri.  
est,  
ale-  
viri.  
mi-  
sta-  
sit  
d re  
ab-  
in-  
tur.  
am  
cia  
cu-  
na  
ro-  
us  
en  
pi-  
tia  
us  
er  
nis  
ri-  
tes  
ife  
Se